



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De libera ac simplici Christian[a]e ordinationis ac Reformationis
recusatione, facta ab Aduersariis

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

dissolutionem parituram, effecturamque vt pauci admodum in Collegiis inueniantur, qui officij sui rationem habeant, aut fortè quale sit intelligant: nec in collegiis aliud statui posse, quàm vt cæteris paribus omnes ad paria onera alligentur.

Hic rursus exerit se impudentia Aduersariorum, in reprehendis ac suggillandis omnibus, quæ à nobis optime traduntur. Proposuimus in libro Reformationem Christianam manifeste prohibiti abusus Annorum carentiæ, quò fit, vt sæpenuerò qui ad ministerium Ecclesiæ necessarij, idonei ac spontanei sunt, præbendis suis nisi post certum annorum numerum, frui nequeant. Item inanis ac frustraneæ obstrictionis ad residentiam primi anni, qua coguntur singulis noctibus apud Collegium & singulis horis præsentem esse, cum millies meliora interim facere deberent & possent.

Has duas constitutiones præcipimus temperari, prout vniuscuiusque loci & personarum conditio, veraque Ecclesiarum ædificatio & træterna charitas postulet.

Quid iam in eo peccatum est? Et quam quæso dissolutionem parit, vel quomodo efficiet, vt pauci in collegiis inueniantur, qui officij sui rationem habeant, aut quale id sit intelligant? Quicquid ad normam veræ ædificationis & fraternæ charitatis temperatur, necesse vt omnia bona, nihil omnino mali apportet. Quid obsecro iuuat Ecclesias & collegia, quod aliquis primo tantum anno tam strenuè apud Collegium adesse tenetur, eodem verò elapso permittitur illi per omnem vitam suam vel adesse vel abesse pro animi sui arbitrio ac voluntate: vt interdum præbendam suam promereri possit, si tantummodo de quibusdam horis, nonnunquam ad vnum tantum hynnium in Choro compareat?

Nos veram & ædificantem residentiam postulamus, quæ non vno tantum anno sed perpetuo duret. Aduersarij verò omnia ad inanem obstrictionem & frustraneam externam speciem dirigunt. Debent sanè omnes personæ in omnibus collegiis paria onera portare, prout ad ædificationem Ecclesiæ conducit, & ab illis fieri potest. Aliàs debet ea æqualitas membrorum vnius corporis obseruari, quam præscribit Spiritus sanctus: & quoniam non omnes æqualium virium sunt, neque etiam ad æqualia adhiberi debent: quemadmodum omnes antiqui Canones sanctorum Patrum de vera communione Christiana docent.

De libera ac simplici recusatione Aduersariorum Christianæ ordinationis ac reformationis.

CAP. CXXXVII.



LIQVOTIES ponunt Aduersarij in hoc articulo, Verū in hoc non parebitur. Per hoc Collegia grauari se querentur, nec

ullo pacto consentient, &c. sine vlla rationabilium causarum subiectione.

Ad hoc responderetur, Sacerdotes vnà cum principalibus veteris populi Israëlitici, sæpenumero cum toto populo veris Prophetis, qui eos ad piam reformationem hortabantur, simile responsum dederunt. Nō parebimus. Hoc graue nobis foret. Hoc non esset è re nostra. Ad eundem Clericatus in Syria, in Græcia, in Hungaria, & aliis compluribus nationibus, quando Christiana Reformatio ab eo postulata fuit, tamdiu respondit, donec ignis furoris & ultionis diuinæ omnes ad vnum deuorauerit. Idem iudicium nostris quoque ceruicibus impendet. Dominus det vt tempus visitationis nostræ rectè agnoscamus, antequam diuturna ac benè promerita ira Dei in nos exardescat. Amen.

Tricesimasexta Accusatio.

De Reformatione monasteriorum.

C A P. CXXXVIII.

SV B hoc titulo taxant Aduersarij id quod in Libro positum est, nos velle, vt qui in monasteriis fuerint reperti idonei ad subeundam curam animarum, ad eam ordinentur, vt que qui in monasteria assumuntur, polliceantur se velle sponte acquiescere, si quando ad Ecclesiarum aut alia ministeria necessaria & Christiana (hoc vocabulum Christiana, omiserunt Aduersarij in citatione horum verborum) requirantur.

At non ignorant Aduersarij, id antiquis Canonibus consentire, & à Patribus obseruatum fuisse. Etenim ex nullo genere hominum frequentius Ecclesiæ ministros desumpserunt, quàm ex Monasteriis.

At scribunt ad hoc opus fore magna discretionem. Et adferunt ex quibusdam Conciliis nullum monachum ad Ecclesiæ ministerium ordinandum esse, qui vltro monasterium suum deserit, sed illos tantum ad hoc assumendos, qui voluntatem & consensum Abbatis sui habent.

Quod verum est. At quæ est causa istius ordinationis? Certè nulla alia quàm hæc, vt tantò probatiores magisque idonei ministri Ecclesiis præfici possint. Iam verò Monasteria iamdudum ab antiqua verè monastica viuendi ratione tam longè recesserunt, tamque multis & superstitiosis ac falsis cultibus conspurcata sunt, vt nemo Christianorum pia mente præditus in eiusmodi monastica vita, qualis nostris temporibus ac monasteriis est, tranquilla conscientia viuere possit: adeò vt deserere Monasteria in plurimis sit argumentum veræ pietatis & cognitionis

Iesu